IO. WILHELMI WALDSCHMIDT,

I C T I,

ET ACAD. MARB. CANCELLARII,

DE

MVTATIONE INSIGNIVM ET SIGILLORVM S. R. I. STATVVM LIBELLVS.





EDITIO NOVA AVCTIOR.

LIPSIAE,
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
1746.

DISSERTATIO IVRIS PVBLICI
DE MVTATIONE INSIGNIVM ET SIGILLORVM S. R. I. STATVVM.

I.

Selectus argumenti.

Quemadmodum Iurisprudentiae Publicae eximia pars, circa Iura versatur, quibus STATVS IMPERII R. G. intuitu maioris Reipublicae, necnon in Suis Quique Regionibus gaudent, ita pariter externa eminentis illius potestatis symbola et signa, eiusdem Disciplinae ambitu conti-

continerı, nemo facile negabit. Haec inter conſpicua ſunt quam maxime *Heraldica* Ipſorum *Inſignia*, excelſi, in quo collocati ſunt, Faſtigii, characteres inuiolabiles, ſplendoris Gentilitii firmiſſima ſtabilimenta: de quibus, et vſu eorum, in *Sigillis* maxime conſpicuo, praeſenti *Specimine Academico* acturi ſumus. Habent nimirum inſignia, praeter theoreticum (Arti Heraldicae proprium, nec non Hiſtoricum) ſuum quoque vſum practicum, eoque Iura Inſignium inprimis pertinent. Quam in rem, ſolertiſſimus rei Heraldicae indagator, MENESTRIERIVS, a) ita differit: *Le Blaſon eſt une eſpece d' encyclopedie, il a ſa Theologie, ſa Philoſophie, ſa Geographie, ſa Jurisprudence, ſa Geometrie, ſon Arithmetique, ſon Hiſtoire et ſa Grammaire. La premiere explique ſes myſteres d' une Theologie fabuleuſe, qui donne des origines myſterieuſes aux Familles, et qui les fait quaſi deſcendre des Dieux. La ſeconde explique la proprieté de ſes figures; la troiſieme aſſigne les pais, d' où les familles tirent leur origine, ceux qu' elles habitent, et ceux où leur diverſes branches ſe ſont etendues; la quatrieme explique les droits du*

a) *L'Art du Blaſon juſtifié* Cap. XIII. pag. 329.

du blason, pour les brisures, les titres, la position des armes aux lieux publics à l'occasion des patronages; la cinquieme considere les figures, et leur assiete; la sixieme en examine le nombre; la septieme en donne les causes, et la derniere en explique toutes les termes et decouvre leurs origines. Nos intra limites instituti subsistemus, et dum Iuri Publico Dissertationem nostram vindicauimus, reliquis, quae de insignibus, eorumque iure dici possunt, quaeque Ars Heraldica sibi vindicat, seclusis; [b]) de eo, quod circa *mutationem Insignium et Sigillorum* S. R. IMPERII STATVVM iustum est, vnice disseremus, ita tamen, vt generaliora nonnulla praemittendo, viam ad sequentia nobis muniamus.

II.

Scriptores eo pertinentes.

Argumenti, quod tractandum suscepimus, non infrequens apud Scriptores occurrit

b) Quod enim non de signis quibusuis aliis, sed de eiusmodi tesseris symbolicis hic vnice loquamur, quae sub inuolucro variarum tincturarum atque figurarum, Statuum Imperii Dignitates, Familias, Regiones et Iura, certa stabilique ratione designant, quilibet facile animaduertit. Reliqua etiam verba in rubro Dissertat. obuia, peculiari descriptione hic non indigent.

rit mentio: praeterquam enim quod Scriptores rei Heraldicae, [c]) de eo nonnulla commemorent, qui *de Iure insignium* commentati sunt, quid circa mutationem eorum iustum sit, non penitus omisere. Hos inter primum locum inuenit BARTOLVS, qui iam olim, renascente Iurisprudentia, peculiarem libellum [d]) de *insignibus et armis* conscripsit. Eum, post decursum plurium seculorum, demum excepit THEODORVS HÖ-

c) Vid. B. Dn. SPENERI *Opus Heraldicum, Tract. General. Part. I. cap. 2. §. 31. et 35. Cap. 2. §. 55.* Qua occasione autem factum sit, vt Theologus hicce, ob summam eruditionem, ac vitae exemplum, doctrina praestantius omni, celebratissimus, et his studiis vacare potuerit, profundamque illorum cognitionem sibi acquisiuerit, verbis Dn. LVDWIG *de Iure Clientelari cap. I. §. 4. lit. n.* audire iuuabit; *Casu* ait, *ad isthaec studia perductus fuit, quod ex sermone ipsius habeo, cum enim in iuniori aetate, Studiis Serenissimorum Principum Birckenfeldensium,* CHRISTIANI et IOHANNIS CAROLI, *gloriosae memoriae, admotus esset, Horum magis, quam sui causa, Illustrium Familiarum Gentes, insignia, rerumque gestarum epitomas delineauit:* addit: *quotusquisque est, qui par ingenio eius Viri, industriae, imo et fortunae!*

d) Quem tamen satis acriter confutauit L. VALLA libello singulari *ad Candidum Decembrem* scripto; Conf. ALCIATVS *Lib. 5. Parerg. cap. 13.*

HÖPINGK [e]) edito insigni *Opere Iuridico, Historico, et Philologico, de Insignium seu Armorum prisco et nouo iure.* [f]) Pariter et illi, qui de *Sigillis et Iure Sigillorum* [g]) quidquam memoriae prodiderunt, suam huc contulerunt operam: vt iam de iis non dicamus, qui dum aliud agerent, huiusmodi mutationis insignium et sigillorum mentionem aliquam iniecerunt. [h]) Horum omnium vestigia secuti, dum professa opera, de ista, quam diximus mutatione, disserere instituimus, spicilegium hoc non prorsus sterile futurum esse, plane confidimus.

III.

Origo insignium in Germania, non vna ratione designatur.

Prius vero quam de mutatione circa insignia et sigilla Statuum Imperii dicamus, vt de

e) Iuris V. D. Susatensis Westphalus, in alma hac Academia primum Eloquentiae et Histor. Professor, deinde *Imperial. Liberique* CASTRI FRIDBERGENSIS Aduocatus et Syndicus.

f) Impresso Norimb. anno 1642. Eodem pertinet SEBASTIANI FESCHII, *Dissertatio de insignibus eorumque Iure*, anno 1672. Basileae habita.

g) Vid. praelaudati HÖPINGKII Tractatus posthumus *de prisco et nouo Sigillorum Iure, cap. 14. num. 161. et 162.* Dn. HEINECCII *Syntagma Histor. de Sigillis, p. I. cap. 1. §. 7.*

h) Conf. Dn. HERTIVS *de Superior. Territ. §. 90.*

de origine et progreſſu eorum nonnulla praemittamus, ſeries dicendorum omnino poſtulat. Vbi quidem inſtitutum ipſum, vt per eiusmodi γνωρίσματα et ſigna homines ſinguli, quin et Gentes integrae ab inuicem dignoſcantur, auitae Gentium conſuetudini deberi, res ipſa loquitur; certe a Populis moratioribus iam dudum olim frequentatum fuit, vt ſymbola et teſſeras eiusmodi adhiberent, quae ſenſibus cunctorum patentia, Ciuilis ſocietatis Ordines, atque Familias diſtinguerent, Principibus Maieſtatem, reuerentiam Magiſtratui, Nobilitati ſplendorem, Virtuti ſuum pretium conciliarent et obſignarent. i) Aſt enim vero, prout magnorum fluminum curſus noti quidem ſunt, origines autem fontesque, vnde deriuantur, in obſcuro latent, ita circa antiquiora eiusmodi inſtituta, idem fere vſu venit. Germanos ſeorſim quod attinet, de prima apud eos Inſignium origine non idem ſentiunt Scriptores. Nonnulli eadem iam tum ſub antiquiſſimo Germaniae aeuo in vſu fuiſſe, inde euincere conantur, quod

TACI-

i) Conf. SPENER. *d. cap.* 2. *Tract. Gener.* vbi de aliarum Gentium moribus prolixe diſſerit.

TACITVS [k]) memoret, *maiores nostros ferarum imagines, tanquam propria singulorum signa, in bellum extulisse*, eosdemque *scuta sua lectissimis coloribus distinxisse.* [l]) Exinde enim CLVVERIVS [m]) coniicit, scuta animalium figuras referentia, ciuitatum, populorum, Principumque, reliqua priuatorum insignia denotasse. Complures, lusu superiorum temporum solenni, vt alia instituta, ita et hoc ad tempora CAROLI M. referunt, laudatissimum hunc Imperatorem clypeos militum, ob res fortiter gestas, signo aliquo exornasse, quo posteri eorum ad virtutem pariter incitarentur, iactitantes. [n]) Alii

k) *Histor. lib. 4. cap. 22. et de M. G. cap. 7.* Eiusmodi Gerdi Germanorum signa in Columna Antonini Romae hodienum conspici, LOCCENIVS *Antiquit. Sueco-Goth. lib. 3. cap. 2.* obseruauit.

l) *De M. G. cap. 6.* vnde *Annal. lib. 2. cap. 14.* Germanorum scuta, *fucatas colore tabulas* appellat. QVINTILIANVS *Instit. Orat. lib. 6. cap. 2.* mentionem facit scuti Mariani Cimbrici, in quo imago Galli picta.

m) *G. A. lib. I. cap. 44. §. 10.*

n) Ita ERPOLDVS a LINDENBROG *in Chron. Caroli M. tit.* Von der von Alvensleben Wapen, scribit: Man lieset in etlichen fragmentis aus dem Closter Marien-Thal im Land zu Braunschweig, daß, nachdem Carolus das Geschlecht von Alvensleben zu Graven gemacht,

 hab

Alii [o]) vſum inſignium ſub CAROLINGICIS IMPP. leuiter adumbratum, ſub HENRICO I. demum plenius inualuiſſe, eundemque proſtratis ingenti clade Hungaris, ludos Equeſtres, quos *Torneamenta* vocant, primum inſtituiſſe, ad haec vero neminem admiſſum fuiſſe, niſi qui in luſtratione armorum, quatuor proximorum aſcendentium inſignibus Gentilitiis, Nobilitatem demonſtrare potuerit, [p]) eaque ratione doctrinam inſignium excoli coepiſſe exiſtimant.

IV.

Verior ſententia ab obiectionibus liberatur.

In tanta opinionum diuerſitate, illi demum quod

hab Er ihr Vätterlich Wapen geſchmückt, und Aluonis That herrlich gemacht, und oben im Triump-Baum Fahn und Zeichen mitgetheilt, etc. Dann Carolus den Brauch gehabt, daß Er allezeit im Schild einem jeglichen, der ſich ehrlich im Krieg gehalten, als ein ſonderbar Merckmahl etwas gegeben hat, daraus man ihre Mannheit, und Adeliche Thaten hat erkennen ſollen, und wann die Nachkommen es angeſehen, auch dergleichen zu thun ſich unterwinden ſolten. Eodem pertinent, quae de WITIKINDO, Saxonum Duce refert CRANZIVS *Saxon. lib. II. cap. 4.*

o) Vid. MARCVS VELSERVS, *rerum Auguſt. Vindelic. Lib. IV. circa fin.*

p) Ita GEORG. RVXNERVS im Thurnier-Buch *pag. 34.* et qui eum incaute ſecuti ſunt.

quod res eſt, ſentiunt, qui Inſignia, qualia hodie conſpiciuntur, occaſione *Paſſagiorum*, ſiue ſacrarum expeditionum, demum enata eſſe aſſerunt: in his enim ſinguli Reges, Principes ac Nobiles, inuicem internoſci cupientes, ſcuta praetulerunt et vexilla, propriis ſymbolis ſignata, quae deinde ex perſonalibus facta ſunt Gentilitia: et abhinc armorum ſiue inſignium decus, e maiorum Nobilium ſcutis, in ſcuta minorum, ad familiarum diſcrimen et ornamentum, paulatim tranſire coepit. [q]) Eaque ſententia ſequentibus nititur argumentis: 1) in confeſſo ponimus, ad originem inſtituti alicuius indagandam, haud ſufficere, generalem aliquam conuenientiam alicubi deprehendi, ſed inſuper requiri, vt ſubſtantialia illius adhibita reperiantur: eoque ſuppoſito 2) cum M. VELSERO [r]) aſſerimus, ſymbola et ſigna antiquorum, ad vnum idemque praeſcriptum, cum noſtri aeui inſignibus, exigi non poſſe; rhombos, ſtrias, ſimiliaque ſigna, vel circa tempora CAROLI M. aut HENRICI I.

 in

q) Vid. Dn. HERTIVS de *Superiorit. Territ. d. §. 90.* ibique *allegati.* HÖPINGK de *Inſign. in praef.*

r) *d. l.* qui tamen ad anteriora tempora alias prouocat.

in ſcutis, vexillis, numis, alibique adhibita, cum Inſignibus recentioris aeui Gentilitiis nihil fere commune habere. Cum enim, 3) in ſeculis iſtis cognomina ne quidem in Germania inuenta fuerint, aut in aliquo familiae genere perpetuo manſerint, nec iura ipſa, perinde ac nunc, hereditaria fuerint, multo minus Inſignia ad ſplendorem Gentilitium efformata eſſe, ſicque ad poſteros transmitti potuere. Praeterea 4) nullo idoneo argumento, tale quid hactenus demonſtrari potuit, quae enim vulgo afferuntur, aut de eiusmodi perſonarum et rerum diſcerniculis loquuntur, qualia communis ſenſus hominibus facile ſuggerit, aut aperte falſa ſunt [s]) aut recentiorum Scriptorum fide, non omni exceptione maiore, vnice nituntur. [t]) Iam HENRICVM I. quod

s) Quo pertinet, quod IOHANN. de BEKA *Hiſtoriae Vltraiect. pag. 28. de Theodorico primo Hollandiae Comite, ad annum 863.* memorat: eum *aurea, cum leonina rubicundi coloris imagine, arma (ſicut quidam tradunt) geſſiſſe, et de regali proſapia Principum Francigenarum oriundum fuiſſe.* Vbi BVCHELIVS *in notis* iure merito addit: *Nugatur hic Beka, et qui eum ſequuntur, nam arma hereditaria, eo tempore incognita fuere, quamuis Fauchetus in Originibus, ea circa tempora* LVDOVICI *Groſſi Franc. Regis incoepiſſe tradat.*

t) Quo pertinent loca §. *praecedenti* adducta.

quod attinet, eiusmodi Inſignium apparatum tum adhuc incognitum fuiſſe, 5) vel ſolum ſigillum Ipſius ſatis euincit, [v]) in eo, praeter imaginem Imp. ſcutum rotundum, ſtriis diſtinctum, lectiſſimis forte coloribus pictum, vnice conſpicitur. Quae vero a natalibus *torneamentorum*, vulgo deſumi ſolent argumenta, ab Eruditis dudum exploſa ſunt. Quanquam enim 6) ſimulatae pugnae certamina vmbratilia, iam tum a CAROLO M. [x]) inſtituta et ab *Aucupe* inſtaurata fuiſſe, diſſentientibus [y]) vltro largiamur, ab eiusmodi tamen militaribus exercitationibus ad *torneamenta* nihil inferri poſſe, Doctiſſimus CANGIVS [z]) ſolide oſtendit. Haec ipſa quoque multo ſerius inuenta, et in Germaniam introducta eſſe, Hiſtoria, luce veritatis, propius affulgente, nunc

v) Cuius typum ex Archiuo Corbeienſi obtentum, Dn. GVNDLINGIVS, ICtus Hallenſis, REGI BORVSSIAE a Conſiliis Intimis, Diſſert. *de Henrico Aucupe* praemiſit.

x) Eoque pertinet locus NITHARDI *de Diſſenſion. Filiorum Ludouici P. Lib. 4. circa finem*, apud DV CHESNE, *Script. rer. Francic. Tom. II. pag. 375.*

y) SCHVBHARDO inprimis, *in Diſſert. de ludis Equeſtrib. cap. 2. §. 13.* vbi verbis Nithardi nec non Witechindi *lib. I. de geſt. Saxon.* hac in re abutitur.

z) *In Gloſſar. verb. torneamenta.*

quidem constat; *Chronicon* etenim *Turonense* diserte testatur, GAVFREDVM de PRVLIACO (anno 1066. apud Andegauum occisum) Seculo XI. demum *torneamenta* in Gallia inuenisse, indeque hunc morem e Gallia in Germaniam transiuisse; et hoc intuitu exercitationes istas a MATTHIA PARIS *Ludos Gallicos* dictos esse, DN. ECCARDVS egregie obseruauit. a) Vt adeo RVXNERI b) figmentis facile occurri possit: et nenias in re Heraldica memorent, tantae vetustatis otiosi promissores. c)

V.

Pluribusque argumentis adstruitur.

Quod vero 7) vsus Insignium, prout hodie in Germania obtinet, ab expeditionibus Cruciatis

a) *Dissert. de Studio Etymol. §. 13.*

b) Imposturam et figmenta *Ruxneri* post BRVNNERVM *Historia Boi. Part. II. lib.* 2. plenius detexerunt Dn. STRVVE, *Dissertat. de Doctis impostor. §. 37.* Dn. GVNDLING *de Henrico Aucupe §. 21. lit. g.* Quodsi SAGITTARIVS *Ruxnerum*, vt promiserat, *exenteratum* exhibuisset, figmentis inde sublatis, exiguam scripti illius partem perstitisse credimus.

c) Vt adeo tanto magis mirari subeat eruditissimum Senem, STEPH. BALVZIVM in *Opere* non ita pridem edito, sub titulo *Histoire Genealogique de la Maison d' Auvergne*, in *praefat. Vol. I.* eorum sententiam approbasse, qui vsum Insignium iam tum

HVGO-

Cruciatis arceſſendus ſit, et ex eo demum tempore idola ſcutis impreſſa, cum certo metallorum, colorum, vellerumque ſelectu et ordine, adhiberi, indeque in Familia perpetuo manere, quin et integrae prouinciae eiusmodi typis conſtanter deſignari coeperint, IOH. IACOBVS CHIFLETIVS *in Lilio Francico, Veritate Hiſtorica, Botanica, & Heraldica, illuſtrato*, [d]) teſtimoniis Scriptorum, nec non antiquiſſimis Inſignium exemplis ſolide probauit, qualia huc conducere, nunc quidem non vacat. Eadem ratione CHRISTOPH. BÜTKENS [e]) obſeruauit HENRICVM I. *Brabantiae Ducem, S.R.I. Marchionem*, in terram ſanctam profecturum, anno 1183. leonem

HVGONIS CAPETI tempore in Gallia coepiſſe aſſerunt; ad Germaniam certe quidquam inde concludi nequit.

d) *Capite VI. et VII.* vbi conſentientes allegat PETRVM PITHOEVM *de Comitibus Campaniae*, SPELMANNVM *in Aſpilogia*, PHILIPPVM MORELLVM *de ſymbolico Franciae ſcuto*, SANMARTHANOS *Fratres* et alios complures.

e) *Trophées de Brabant, Livre IV. p. 199.* verba ipſius haec ſunt; *Il fut le premier de nôs Ducs, qui en ſon Eſcu porta le Lion de Brabant, comme l'on peut reconnoitre par ſes ſeaux: combien, qu'aux ſeaux des Ducs et Comtes precedents l'on ne trouve aucun ſigne, peut être à cauſe, que la coutume ne le portoit pour lors.* Add. *Preuves des Troph. de Brabant, pag. 47. et 67.*

nem in ſcuto primum praetuliſſe, cum in ſcutis anteriorum Ducum et Comitum nullum ſignum inueniatur. Et OLIVARIVS VREDIVS [f]) teſtatur, ROBERTVM *Friſonem, Flandriae Comitem*, anno 1072. primum fuiſſe, qui in ſcuto militari leonem praetulerit, quo deinceps ſucceſſores nonnulli rurſus abſtinuerint, usque dum THEODORICVS *Alſatius* anno 1161. eadem Inſignia reſumſerit. Idem denique ex vetuſtis illis Sigillis apparet, quae ANDREAS DV CHESNE, *in Genealogiis Illuſtrium Familiarum* exhibuit, in quibus ante ſeculum XI. et XII. nullum, ſcuto ſymbolico ſuperbiens, deprehenditur. [g]) Indeque

f) *De Sigillis Comitum Flandriae ſub anno 1072.* Add. quae de Leone Palatino, e Sigillis obſeruauit TOLNERVS, *Hiſtoriae Palat. Cap. XVI. pag. 363. et ſeq.* Et de Inſignibus *Anhaltinis* BECMANN. *Hiſtor. Anhalt. Lib. 2. cap. 3.*

g) Quod de Sigillis modo affirmauimus, idem et numi ac Epitaphia euincunt. Eoque pertinent, quae apud FREHERVM *Origin. Palatin. cap. XIII.* leguntur: *Habeo*, ait, *numum argenteum, ſatis antiquum, didrachmalem, in quo aduerſa parte caput Principis galeati, antiquo modo, cum literis vetuſti admodum characteris* ALBERTI C. P. *id eſt* Comitis Palatini: *aduerſa parte foemina alata, Victoriae prope ſimilis, tenens ſcutum illud teſſelatum, absque leonibus, cum inſcriptione* BAIOARIA, *voce non huius, nec ſuperioris ſeculi.*

deque est, quod obseruante B. LEIBNITIO, [h]) circa initia seculi XII. rara adhuc rei Heraldicae vestigia in monumentis Historicis occurrant. Hactenus dictis proinde non quidem negamus, clypeos aliaque arma variis coloribus et picturis dudum olim distincta fuisse, sed id vnice probatum dedimus, ante expeditiones istas in Orientem susceptas tesseras eiusmodi symbolicas, quales hodierna Insignia referunt, constanter ac sine intermissione adhibitas

seculi. De Epitaphiis vero MENESTRIER *de l'origine du Blason, chap. 2.* scribit: se post peragratam Germaniam, Galliam, Italiam, Belgium, in quibus veteres fornices, aedificia, portus, altaria, sepulchra, et quicquid antiquitatis vbique fuit, sedulo obseruarit, vetustissima etiam Tabulariorum acta peruolutarit, antiquius documentum eius rei non inuenisse, insignibus illis *Varmundi Comitis a Wasserburg*, quae Ratisbonae in templo S. Emerani ad latus chori conspiciuntur, adiecta pedibus Comitis decumbentis supra tumulum, scutum esse nudum, in duas partes dissectum, quarum superior candida Leone notetur, inferior nigri coloris ad marginem hanc inscriptionem contineat: *Anno Domini MX. in die S. Leonis PP. Dominus Varmundus nobilis Comes de Wasserburg, qui huic Monasterio dedit Hofmarchiam in Vogtereu, hic sepultus.* Forte autem epitaphium ipsum non statim anno emortuali, sub initium seculi XI. sed diu post, erectum, ne beneficii memoria periret.

h) *Tom. 2. Scriptor. Rer. Brunsu. in praefat. pag. 28.*

hibitas non fuisse, et si qui antiquiores occurrant insignium typi, aut subleſtae fidei esse, aut certe ad posteros haud transiuisse. [i])

VI.

Antiquiora Statuum Imperii Insignia, vnde processerint?

Ex iis, quae de origine Insignium in Germania modo dicta, simul apparet, quos natales habeant, antiquiora Statuum Imperii Insignia. Certissimum, inquam, est, insignia sibi efformare, eaque assumere, medio aeuo vnicuique liberum fuisse, quam in rem PONTVM HEVTERVM, [k]) audire iuuabit: *Europae*, ait, *Principes e sacro bello reuersi, signorum notas in armis, scutis, clypeis, vexillis ac sagis militaribus pro maxima parte mutauere: Quidam enim caesi a se Mahumetici Principis signum, in fortitudinis aeternum testimonium sumentes, posteris reliquere. Alii deuictae alicuius praeclarae vrbis signum assumsere &c.* quod

i) Quod vero inde a temporibus expeditionum istarum Gentilitia fieri, et ad posteros transmitti coeperint, CHIFLETIVS *d. l. cap. 5. in fine,* ex eo quoque infert, dum scuta in terra sancta defunctorum eum in finem ad natale solum relata fuerint, quo et posteri iisdem armis vterentur.

k) *De veteri ac sui seculi Belgio Lib. 2. pag. 93.*

quod etiamnum videre licet in Hollandiae, Flandriae et Brabantiae vetustis clypeis. Alii distinctionis caussa noua signa excogitauere, quemadmodum Duces Brabantiae a Lotharingis separati. Quod autem tam multi Principes mutatis coloribus, Leonem affectarint, factum censeo imitatione Asiaticorum Principum, ac praecipue eorum, qui minorem Asiam incolebant, cuius maiorem partem cum olim Troianos possedisse, eosque in scutis Leonem circumtulisse Troianum intellexissent, omnes Leonem assumebant. Abundarunt certe ex eo tempore Belgarum Principes et Prouinciae, imo priuati Nobiles Leonum, diuersi coloris, insignibus etc. Interdum etiam ab euentu aliquo notabili, fortique facto, in expeditionibus istis insignia vel tributa, vel assumta fuisse, exemplo clypei purpurei et fasciae argenteae, in Insignibus Austriacis constat; ita enim *Continuator Belli Sacri:* [1]) *occupata turri quadam, cum Austrius* (LEOPOLDVS V.) *in repugnantem hostem saeuiret atrocius, suorum caesis permultis,*

1) *Lib. 2. cap. 3. et 7.* Add. GVILLIMANNVS, *Habsburgiac. Lib. 2. cap. 8. in fine,* vbi refert, *ab aliis tradi, Albertum, Rudolphi I. Imp. Filium, in praelio Othogarico, hanc noui clypei gloriam parasse, vexillo quod portauerat candido, sanguine adsperso et cruento.*

multis, in mare se praecipitem dare coactus est, totus suffusus sanguine, cingulotenus duntaxat, quod album corpus intersecabat, a cruore immunis ad suos se recepit. Vnde ex euentu Fridericus, Friderici Abenobarbi Imp. Filius, qui post mortem patris Christianae in oriente militiae Dux et Imperator, totius exercitus suffragio, noua illi insignia, rubro et albo coloribus interstincta concessit. m) Quemadmodum vero eminens illud Fastigium, in quo Status Imperii collocati, per varias temporum periodos suum accepit complementum, ita quoque Insignia Ipsorum simul aucta, et ad maiorem splendorem euecta fuere. Nec minus scutorum dispositio, et symbolorum collocatio, primitus arbitrariae fuere, vsque dum consuetudines exceperunt leges, certamque Disciplinae formam res Heraldica secutis seculis accepit. n)

VII.

m) Eodem pertinet exemplum ECKHARDI *Comitis Schirensis*, apud ANDREAM PRESBYTERVM, *Chronic. Bauar. pag. m. 49.* Vid. tamen SPENER, *Oper. Herald. part. spec. cap. 27. in fine.*

n) Qua ratione Insignia a primaeua simplicitate, per varios gradus et temporum spiramenta, ad eum quo hodie conspiciuntur splendorem et ordinem surrexerint, non aliunde melius cognosci potest, quam si antiquiores eorum typos, quos BÜTKENIVS,

VII.

Quid hodie circa Insignia Dignitatum Imperii, nouiter acquirenda, obtineat?

Quod si vero ad recentiora tempora pergamus, et hodiernam obseruantiam Imperialem, Legibus scriptis corroboratam intueamur, Insignia Dignitatum et Munerum Imperii, eorumque concessionem a maiori Republica dependere, primo statim intuitu deprehendimus. Qui enim in numerum Statuum Imperii nouiter cooptantur, aut ad superiores Imperii Ordines euehuntur, vel Officio quodam Imperii condecorantur, dum axioma ipsum ab Imperatore et Imperio obtinent, et characteres illius, Titulos inprimis et Insignia, ex eodem Dignitatum Imperii fonte recipiunt. Inter alia complura recentioris aeui exempla, hodierna *Sereniss. Principum* SCHWARTZBVRGICORVM Insignia, idipsum vel maxime comprobant, cum enim anno MDCXCVII. CHRISTIANVS WILHELMVS, Sondershusae residens, cum *Sua Progenie*, et deinceps vniuersa *Domus Schwartzburgica* in Ordinem S. R. I. PRINCIPVM re-

 cipe-

NIVS, VREDIVS, DV CHESNE aliique exhibent, cum recentioribus et recentissimis, in singulis familiis conferantur, et inuicem contendantur.

ciperetur, Eidem quoque a Caesarea Maiestate Insignia plurimum immutata, prioribusque auctiora, et ad formam artis composita, fuere concessa. o) * Quam in rem illustris COCCEIVS p) ita disserit: *Insignia varia sunt, alia publica, Dignitatis et Officii, quae non possunt sumi,*

o) Verba Diplomatis huc pertinentia Celeb. Dn. WEBER, Exam. *artis Herald. append. 2. §. fin.* Orbi Literato communicauit.

* Eadem felicitas quoque obtigit Duci Marlbourughio. Eius, enim, arma, seu insignia Augustiss. Imperator Carolus VI. quum ipsum S. R. I. Principum consortio adscriberet, aquila Imperiali auxit et ornauit, iussitque, vt ea dictae aquilae pectori imprimantur, atque, loco coronae hactenus vsitatae, pileo, seu Corona Ducali, tegantur, et aquilae Imperialis alae ac pedes scutum firment. Compara omnino IO. IAC. MOSERI Teutsch. Staats-Recht T. *IV. L. II. Cap. LIII. §. 4. p. 210.* quem euoluisse poenitebit neminem.

p) *In Differt. de Iustitia Belli et Pacis in Statu Regni Portugallici fundata, in Addit. quaest. 1.* Conf. eiusdem Differtatio, *de Potestate Statuum Imperii circa dignitates, cap. 3* vbi, postquam exposuerat, quanta, quamque eximia sit Statuum Imperii potestas circa dignitates in suis territoriis, *§. 24.* concludit, eam tamen ad Dignitates et Officia Imperii se non extendere, sed haec ab Imperatore, Suo et Imperii nomine conferri. Add. *Cap. 2. §. 37.* vbi ex Capitulat. obseruat, *dignitatum istarum diplomata non ex Aulica, sed Imperii Cancellaria expediri.*

ſumi, aut dari, niſi ab eo, qui dignitatem ipſam officiumque dare, aut conſtituere poteſt; alia vero ſunt priuata familiae inſignia, eaque vnusquisque paterfamilias arbitrio ſuo ſibi fingere, ſuaeque familiae inferre poteſt, cum ſint iuris et arbitrii priuati, l. vn. C. de mutat. nom. niſi iuribus loci aliud ſancitum fuerit. Vbi tamen, occaſione poſterioris aſſerti, in tranſitu ſimul notamus, quando Dd. vnicuique priuato ius aſſumendi Inſignia, * quae velit, communiter adſcribunt, q) idipſum, intuitu maioris Reip. Imperii R. G. per ea, quae in *Capitulatione* LEOPOLDINA *articulo 45.* nouiter r) diſpo-

* Priuatis hoc non aliter licet, quam ex ſingulari Imperatoris indulgentia, qua vtitur Fuggerorum familia, cui Carolus V. inſignia pro lubitu augendi, mutandi et minuendi conceſſit poteſtatem. Lege MOSERVM *l.c.ſ.17.p.216.*

q) Vid. allegati ab HÖPINGKIO *de Inſign. Cap. 8. memb. 8. num. 146. et ſequ.*

r) Obſeruante LIMNAEO *ad d. artic. 45. Capitulat. Leopold.* ibi. *totus hic articulus eſt nouus.* Verba *d. Artic.* haec ſunt: Es ſolle der Kayſerl. Reichs-Fiſcal wider alle welche ohne Kayſerliche Verwilligung oder dero verordnete Palatinen einiger Standes Erhöhungen, Nobilitationen, Raths-Tituln oder Praedicaten, und Denominationen ſich anrühmen, oder ſelbſt eigene Wapen mit offenem, oder zugethanem Helm formiren, der Gebühr nach zu verfahren, und dieſelbe nach Geſtalt des Verbrechens, und

dispofita, et in IOSEPHINA *artic. 44.* nec non in *Capitulatione nouissima*, AVGVSTISSIMI IMPERATORIS CAROLI VI. *art. 22.* iterata sunt,* haud aeque procedere. s) Illud denique

und der Personen zu behöriger Straff zu ziehen, schuldig und gehalten seyn. Indeque illustris Autor *Meditat. ad Instrum. Pacis* in subiuncta *Comment. ad Capitul. Ioseph. artic. 44.* concludit: *non attendendum esse, quod alias inter Dd. priuilegia referri solet, quod ipsi proprio motu sumere sibi possint insignia cum galea aperta. de quo* Pfeil. *Consil. 197. num. 26.* Besold. *Thes. Pract. verb.* Wapen *quum in dicto art. 44. omnes poenae subiiciantur, qui Insignia sibi sumant sine Imp. concessione.*

* Idem factum est in Capitulatione CAROLI VII. *Art. XXII. §. 12.* Atque in §. 13. haec adiecta verba sunt: Welches dann zumal auch gegen diejenigen statt haben, und ohne weitern Anstand vollzogen werden solle, die dergleichen Begnadigungen von unsern Vorfahren, am Reich erhalten zu haben, fälschlich vorgeben, und deren sich anmaßen. Conf. 10. IAC. MOSERI Anmerckungen zu Kayser CAROLI *VII.* Wahl-*Capitulation p. 580. sqq.* Digna quoque haec verba censuerunt Serenissimi Electores, quae denuo locum occuparent in Augustissimi Imperatoris nostri FRANCISCI I. Capitulatione *Art. XXII. §. 12.*

s) Ius quod Imperatori R. G. circa Insignia competit, et Statibus nonnullis per modum priuilegii concessum est, nominatim ELECTORIBVS SAXONIAE, vid. Diploma apud ZIEGLERVM *de Iur. Maiest. lib. 2. cap. 21. §. 9.* et ARCHI-

denique ex hactenus dictis liquet, qua ratione Insignium concessio inter Reseruata Caesarea hodie referatur. t)

VIII.

Insignium Statuum Imp. multiplex diuersitas.

Ex iis, quae §§. *praecedentibus* dicta sunt, sponte sua nunc patescit, Insignium, quibus Status Imperii R.G. nunc vtuntur, maximam hodie diuersitatem esse, idque non solum quoad δείγματα, variaque idola in illis expressa,

ARCHI-DVCIBVS AVSTRIAE, vid. diploma apud LIMNAEVM *Iur. Publ. Lib. V. cap. 2. num. 32.* Add. COCCEIVS *d. Differt. de potestat. Stat. circa dignit. cap. 3. §. 20.* Tum etiam per Comites Palatii Lateranensis, suo modo exercetur, qui tamen non omnes eadem facultate pollent, conf. SCHVBART *de Comit. Palatin. pag. 252.* eorumque diplomatibus isthaec clausula solet inseri: Doch soll gedachter N. sein fleißig Auffsehen haben, daß er in Kraft dieser unserer Kayserl. Freyheit, unsern Kayserl. oder Königl. Adler, auch anderer Fürsten, Graffen oder Freyherren, alte erbliche Wapen und Kleynodien, auch jemands, wer der wäre eine oder mehr Königl. Cronen auff Helmen noch sonsten nicht verleihe, welches Wir Uns hiermit vorbehalten haben wollen.

t) Vid. Autor *Meditat. ad Instrum. Pacis d. l.* ZIEGLERVS *cum allegat. d. l.* *

* Quibus iungendus est IO. MAX. von GÜNDERRODE in der Abhandlung des Teutschen Staats-Rechts *L. III. Cap. VII. §. 48. p. 409.*

pressa, sed vel maxime etiam quoad varia Dignitatum et Officiorum Imperii symbola et discernicula quibus coruscant. Prout enim Statuum Imperii non vna est partitio, ita quoque complures Insignium differentiae inde resultant. In vniuersum tamen illa Insignium diuisio instituto nostro apprime conuenit, quod alia sint insignia Dignitatis, et huius vel Ecclesiasticae vel Secularis, alia Domanii et Territorii, quod referunt, alia denique Familiae et Gentis, ex qua Regionum Domini oriundi. Superesset, vt de multiplici Insignium vsu, rebus et personis iisdem insigniri solitis in specie vero de Heraldis eorumque officio nonnulla dicamus, verum instituti mensura ad rem ipsam nos properare iubet. v)

IX.

Mutationis Insignium variae species.

His itaque praestructis, eo nunc deferimur, vt *mutationes Insignium et Sigillorum*, cum suis effectibus penitius consideremus. Quod enim et haec, perinde ac reliqua sublunaria, mutationi obnoxia sint, crescant quandoque et augeantur, quandoque decrescant et minuan-

v) Vid. de vsu insignium multifario PONTVS HEV- TERVS *d. l. p. 93.* SPENER. *part. gen. cap. 1. §. 22. et seq.*

minuantur, non raro etiam in totum expirent, experientia, mille testes, suo calculo confirmat. Hic autem multifarias mutationum species, primo statim loco offendimus. Praeterquam enim quod plane noua insignia (quod rarius tamen factum) in locum priorum substitui queant. Particulares mutationes quod attinet, eaedem 1) vel in scutis, vel in galeis, et ornamentis, vel in Telamonibus contingunt. 2) Vel tantum Dignitatis, vel Familiae, vel Domanii Insignia concernunt. 3) Vel augent, vel minuunt Insignia. 4) Vel necessariae, vel voluntariae. 5) Vel temporariae vel perpetuae sunt. 6) Vel ipsa Insignia afficiunt, vel rebus, sigillis, v. gr. in quibus exprimuntur arma, aliam formam inducunt. Et hoc vltimo intuitu, *mutationis Sigillorum* in lemmate Dissertationi praescripto seorsim mentionem fecimus, cum exemplo §. *penult.* adducto liqueat, non raro fieri, vt sigilla mutentur, insignibus parum vel nihil immutatis. x)

X.

Illarum exempla.

Magnam sibi olim libertatem Proceres Imperii

x) De causis et occasionibus istiusmodi mutationum, cum variae et infinitae sint, pariter nihil addimus.

perii in mutandis Insignibus asseruisse, MEIBOMIVS y) obseruauit, addens: Principes, Comites et Dynastas, Insignia, cum bello sacro nomen dedissent, electa, pro lubitu rursus immutasse, tum et vsui interdum venisse, vt qui ab aliis victi essent, insignia sua abdicare cogerentur, exemplo ALBERTI *Magni*, Ducis Brunsvicensis eiusmodi Insignium ablationem in hostes deuictos statuentis. z) Ipsa vero

y) *Ad auream bullam Andronici Imp. Tom. I. Scriptor. rer. Germ. pag. 548.*

z) Quando autem B. HERZOG *Chron. Alsat. lib. 2. cap. 35. lib. 4. cap. 66. lib. 5. cap. 62. et 76.* CVSPINIANVS *de Caesar. Rom. pag. 375.* OCT. DE STRADA *Imag. Imp. pag. 375.* HÖPINGK *de Iure Insign. cap. 6. num. 863.* cantherios rubeos, in HANOVICIS insignibus conspicuos, eorumque originem simili fato adscribunt, ac si post ferale illud praelium inter ADOLPHVM *Nassouicum* Imperatorem, et ALBERTVM *Austriae* Archi - Ducem anno MCCXCVIII. die 2. Iulii iuxta Wormatiam, inter pagum Gellheim et Monasterium Rosenthal commissum, COMITI HANNOVIAE, eo quod a partibus Imp. steterat, insignia immutata, et in locum aurei leonis sparsis, hinc inde cruciculis, ex eodem metallo, superbientis, cantherii isti substituti fuerint: fabula haec, in *Differtat. Consultiss.* Dn. CRANZII *de Austregis Comitum pag. 40.* exemplo Insignium, in porta ciuitatis Hannouicae *Windeken*, cum iisdem cantheriis, adscripto anno MCCLVII. conspicuorum, nec non ex eo, quod cantherii in arte Heraldica inter figuras honorabiles referantur, detecta

vero mutationum spontanearum exempla, in monumentis historicis passim obuia, earum frequentiam plenius confirmant. Vt alia nunc omittamus, legi omnino merentur, quae de Insignibus Austriacis, eorumque incrementis GVILLIMANNVS, sigillorum ope, annotauit. [a]) Eodem pertinent exempla Statuum nonnullorum aliis con-Statibus Insignia sua feudi iure concedentium. [b]) Vt et quod Nobiles Imperii scuta sua aliis communicauerint, eaque per adrogationes, in alios armorum capaces libera voluntate transtulerint. [c]) Denique

detecta pariter, et refutata est. Eamque traditionem idoneo fundamento destitutam esse, silentium Scriptorum, ad aetatem illam proxime accedentium, quoque euincit, vid. *Autor Chron. Colmar. ad d. ann. Albertus Argentin. pag. 110. Gobel. Persona aetat. 6. cap. 66. Magn. Chron. Belgic. pag. 271. 278. Mutius lib. 22. Trithemius Chron. Hirsaug. d. a.*

a) *Habsburgiac. lib. II. cap. 8.*

b) Vid. FREHERVS *Orig. Palat. d. c.* TOLNERVS *Histor. Palat. d. l.*

c) De hoc Insignia acquirendi modo, ita CASPAR LERCH, von Reichs-Ritterlichen Adels Herkommen, *part. 1. pag. 10.* eine besondere Teutsche antiquität und Denckwürdigkeit ist mir ferner ex priuatis literis erschienen: Daß der Reichs-freye Adel, zu Erhaltung Ritterlicher Geschlechter, Namen, Schild, Helm, Haab und Guts, das Mittel der Adoption, etwan sehr im Brauch gehabt,

nique antiquam istam Insignia mutandi libertatem et illud arguit, quod prisca Imp. Diplomata, insignium concessionem aut confirmationem continentia, hac fere clausula munita sint, *vt nullus arma per Imperatorem tradita et donata, secum deferat siue portet*, nisi *ad id accesserit, eorum, quibus concessa, consensus pariter et voluntas.* [d]) Nec minus assertum Dd. consuetudine, praescriptione, testamentis, pactis ac donationibus insignia induci et acquiri posse, in eadem prisca obseruantia fundatum est. [e]) Vicissim tamen ex antiquioribus seculis exempla nonnulla supersunt, vbi ob immutata, nouiterque assumta Insignia, Caesarea, quin et Pontificia confirmatio petita fuit. [f]) Imo promiscuis istis mutationibus

gehabt, indem viel tapfere Rittersmann, wann sie ihres Geblüts Schild, Helm, und Nahmens Absterben und Untergang gesehen haben, ihre nechste Freunde, oder deren Kinder zu rechten Erben angenommen, daß wann sie schon ihres Geschlechts nicht gewesen, jedoch ihren Nahmen, wann sie verstorben, mit Schild und Helm tragen, auf und annehmen mögen, und müssen ꝛc. Add. HÖPINGK *d. l. cap. 8. §. 5.*

d) Vid. Diploma LVDOVICI *Bauari Imp.* apud FREHERVM *Orig. Palatin. d. l.*

e) Conf. HÖPINGK, *d. cap. 8.*

f) Eoque pertinet exemplum BERTOLDI XVIII. *Comitis Hennebergensis*, qui, referente SPANGENBERG. *Chron.*

bus per leges Torneamentorum iam olim obstaculum aliquod positum, indeque ipsi concessioni, conditionem de non mutandis Insignibus aliquando adiectam fuisse HÖPINGKIVS g) obseruauit. Qua ratione vero hodierna Imperii obseruantia, circa mutationem Insignium se habeat, ex iis, quae supra §. *VII.* diximus, sua sponte patescit. h)

XI.

De mutatione circa Dignitat. Secular. Insignia.

Pergimus ad effectus e *mutatione Insignium et Sigillorum* resultantes, vna cum praecipuis mutationum speciebus, (vid. *supra* §. *IX.*) seorsim considerandos. Vbi primo loco, Insignia Dignitatum Imperii Secularium, velut antiquiora offendimus. Ab horum mutatione

Chron. Henneb. lib. 1. cap. 1. lib. 4. cap. 23. cum, ad Italam Gentis suae originem demonstrandam, Columnam albam coronatam in campo rubro, caeteris clypei signis adiecisset, non solum FRIDERICI II. Imp. sed et ex superabundanti cautela PP. PAVLI II. confirmationem augmenti istius petiit, et obtinuit. Add. HÖPINGK *d. c. 8. n. 124.* vbi de Comitibus Stolbergensibus mutatorum Insignium confirmationem a CAROLO V. Imp. obtinentibus.

g) *d. C. 8. n. 117.*

h) Add. HÖPINGK *d. c. 8. m. 7.* Et diploma *supra §. 7.* allegatum, vbi Principibus Schwartzburg. reseruatum, vt sex galearum loco, mitram Ducalem adhibere possint.

ne ingens momentum et olim dependisse et hodienum dependere, res ipsa loquitur. Eoque pertinet, quod *Iure Feudali Saxonico artic. 21.* dispositum legitur: Es höhet nichts des Mannes Schild, noch seinen Adel, dann allein Fahnen-Lehen, ob ihm des geliehen wird. Quae quidem verba, prout in diuisione Ordinum Imperii secundum certos clypeos militares se fundant, ita vel ideo crucem figunt Dd. cum praefata diuisio, Scriptorum antiquiorum oscitantia,[i]) confusione ordinum regni Longobardici et Germanici, varia denominatione eorum, qui sub eodem clypeo constituti, multis dubiis, indeque et multiplici Dd. dissensu [k]) inuoluta sit. Nobis hic sufficere poterit, illud exinde obseruasse, quod Feudum Vexilli Ein Fahn-Lehen [l]) prout duo continet, terram et

i) Dum nimis superficiarie ea, quae ad statum sui temporis politicum pertinebant, recensuerunt, et quae tum notoria erant fere omiserunt, non recordati talia secuturis seculis notoria esse desitura; Vid. WIPPO *de vita Conradi Salici*, sub rubro *de disposit. regal. curiae*, vbi pari oscitantia istos, quos diximus, clypeos milirares describit.

k) Conf. SCHILTER *Comment. Iur. Feud. Alem. cap. 1.* COCCEIVS *Differt. de Potestate Statuum Imp. circa Dignitat. cap. 2.* THOMASIVS *de vsu libri vet. de Benef. §. 12.* GVNDLINGIVS *de Henrico Aucupe §. 21. nota d.*

l) Confer. GVNDLINGII *Diatriba de Feudis Vexilli.*

et Dignitatem, nec alii quam Duces, Principes et Comites, bannoque regali pollentes olim quidem m) haec feuda obtinebant, ita quoque ipsis Officii rationibus, et Dignitate regali eidem annexis, (non ex speciali aliquo priuilegio) cum illius concessione Insignia immutata et aucta fuisse. Quantum porro momenti hodienum in assumtione vel omissione Insignium, Officia et Archi-Officia Imperii denotantium, positum sit, controuersiae super Vicariatu, n) nec non ea, quae de Vexillo Imperii et Officio Archi-Vexilliferi o) disputata fuere, satis ostendunt. Qua ratione reliqua Ducum, Principum et Comitum Insignia Dignitatum ab inuicem differant, ex principiis Heraldicis definiendum, et a nostro instituto alienum est.

XII.

De mutatione Insignium inter diuersas Lineas, nec non quoad Apanagiatos.

Quemadmodum vero Regiones Germaniae,

m) Vid. GVNDLING *d. Tract. §. 43.* ibique allegati HERTIVS et ITTERVS.

n) Vid. Scripta apud GASTELIVM *de Statu Europae cap. 8.* LONDORPIVM *Act. Publ. lib. VIII. cap. 1. Partis VIII.* PFANNER. *de Gentibus Principum Germ. cap. 3.* SCHILTER *Tom. II. Inst. Iur. Publ. pag. 29.*

o) Vid. COCCEII *Ius Publicum cap. 17. §. 17.* Electa Iuris P. curiosa anno 1696. edita, ibique allegata scripta.

niae, quae succeſſione deferuntur; vel diuiduae ſunt, vel indiuiduae, p) ita quoad vtrasque, praecipue vero quoad indiuiduas, occaſione eorum quae de Inſignibus Dignitatum §. *praecedenti* dicta, an et quatenus inter diuerſas, eiusdem Familiae, Lineas mutatio Inſignium inducatur, nec non quid circa Apanagiatos hac in parte iuris ſit? iam porro nobis diſpiciendum. Et quidem regiones diuiduas quod attinet, dum, caſu exiſtente, duo pluresue Principatus aut Comitatus inde oriuntur, quorum ſinguli ſuas res, ſuum πολίτευμα ſeorſim habent (niſi per pacta ſpecialia nonnulla in communione perſiſtant) dubium non eſt vtramque Lineam aeque principalia Inſignia deinceps gerere, quae tamen vel ab aliis acceſſionibus, vel ab ipſis Regionibus diuiſis, aliisue notis facile inuicem diſcernuntur. Indiuiduas vero Regiones quod attinet, quas inter per *A. B. tit.* 25. §. 2. Electoratus eminent, teſſerae Archi-Officiorum, quae in ſcuto peculiari, centro Inſignium vt plurimum affixo, exprimi ſolent, ad poſtgenitos haud tranſeunt.

p) Conf. HERTIVS *de Special. Imp. Rebuspubl. Sect. II. §. 6.* vbi ſingularum naturam et indolem, variasque figuras, egregie delineauit.

transſeunt. Nec minus quoad reliquas Germaniae Regiones illas, in quibus ius primogeniturae q) legitime introductum eſt, quaeritur, an, et quatenus circa Inſignia *Apanagiatorum* mutatio aliqua vel olim adhibita fuerit, vel hodienum vſuueniat? Quod ſi ad Regnum Galliae (vel ideo, quod res Heraldica vix alibi magis exculta ſit) eiusque mores oculos conuertamus, deprehendimus, ibidem dudum olim inter Proceres obtinuiſſe, vt natu maiori integra cedant Arma Gentilitia, reliquis tantum principaliora δείγματα eorumue tincturae; cum figuris vel plane nouis, vel aliunde aſſumtis. Imo in nonnullis Familiis obtinet, vt ipſe primogenitus, quamdiu parens viuit, notas quasdam diſtinctiuas adhibeat. In aliis tantum poſtgenitis neceſſitas imponitur, vt, ſi vel maxime integra paterna Inſignia ſibi ſeruent, nonnulla tamen diſcernicula, primogenitorum intuitu ſuperaddant, qualia vulgo *briſures*, ſeu *ſcuti imminutiones* vocant, noſtratibus Beyzeichen dicuntur. r) Germanos ve-

 rò

q) Id quomodo fiat, vna cum primis natalibus iuris πρωτοτοκίας, ſolide expoſuit Illuſtris DN. DE LVDOLPH *Auguſt. Camerae Imp. Aſſeſſor*, in erúditiſſimo Tractat. *de Iure Primogeniturae:* add. HERTIVS *d. l. §. 8.*

r) Vid. SPENER *Part. gen. cap. 8. ibique allegati.*

ro quod attinet, et illis eiusmodi notas distinctiuas quondam vsitatas fuisse, complura subindicant. Quando enim apanagiatos non iisdem cum primogenito titulis vsos fuisse constat, [s]) idem quoad Insignia seruatum fuisse, recte inde colligimus. Diserte etiam supra laudatus CASPARVS LERCH [t]) testatur: Daß bey etlichen Familien sich begeben, da einer oder der ander in Fehde, und verbündliche Gesellschafft sich eingelassen, ein Beyzeichen seines Stamms, Schild, oder Helm angenommen und gesetzt worden; welches auch vielfältig in Ansehen des primogeniti oder ältisten geschehen ꝛc. Nec minus eiusmodi discerniculorum exempla, quae deinceps velut principalia insignia retenta, hodienum superesse, obseruauit SPENER, [v]) addens: apud nostrates frequentius tali casu obtinuisse, vt insignibus retentis, colores tantum immutati, aut in galea mutatio adhibita fuerit:

s) Pertinet eo, quod apud REINECCIVM *de Orig. Nobilitat. in praefat.* legitur: Do was eine Wiese, de olteste Broder bleiff ein Hertog, de jüngste ein Graff. Add. CRANZ *Lib. V. Sax. cap. 15.* GRYPHIANDER *de Weichbildis cap. 62. n. 13.* SPRINGSFELD *de Apanag. cap. 3. num. 18.* CRVSIVS *in vita Witikindi cap. 11.*

t) *de Ord. Equest. pag. 68.* add. SPANGENB. Adelsp. *pag. 312.*

v) *d. l. §. 7. 10. 32.*

rit: quoad hodierna vero tempora vix amplius tale quid vſuuenire, ſed omnes Lineas, quotquot vnius Familiae ſunt, iisdem Inſignibus vti ſolere, niſi ab antiquo diuerſis vti conſueuerint, aut vna peculiaria aliunde nacta ſit inſignia, eaque ſcuto ſuo adiecerit. Solet etiam non raro per pacta Familiae, vel per teſtamenta vſus Inſignium, poſtgenitorum intuitu, plenius definiri, qualia exempla exhibet SPRINGSFELD.[x]) Quo ipſo tamen apanagiatis nulla maior praerogatiua accedit, nec lineae primogeniti quidquam decedit, a titulis enim, inſignibus aliisque externis, ad ipſam vim imperii nihil inferri poſſe, ſatis conſtat.

XIII.

De mutatione circa Inſignia Procerum Eccleſiaſticorum.

Qui primum inter Status Imperii obtinent locum Proceres Eccleſiaſtici, eorum Inſignia, velut ſerius orta, pro inſtituto noſtro conſideranda, huc reſeruauimus. Non equidem ignoramus LEHMANNVM[y]) et alios, iſtorum ori-

x) *De Apanagio cap. XI. num. 80.* Diſtinctio vero ab eodem propoſita, an Feuda Imperii Iure Francico, an Iure Longobardico conceſſa ſint, rem non conficit.

y) *Chron. Spir. Lib. 4. cap. 3.* vbi autoritate THEODORICI a NIEM, Scriptoris Seculi XV. (vid. SCHATEN, *Annal. Paderb. Tom. 2. p. 531.*) ea, quae dixerat, confirmat.

ginem ad tempora CAROLI M. et OTTONIS I. referre. Viciſſim tamen et illud apparet, argumenta, quibus vtuntur, e Scriptoribus recentioris aeui deſumta eſſe. Et quando SPERLINGIVS z) aſſerere non dubitauit, *Eccleſiaſticorum morem, his ornamentis et inſignibus vtentium, antiquiorem eſſe, quam Principum ſecularium, eosque his praeiuiſſe in illa hodiernorum inſignium materia:* exemplum numi illius, quo nititur, rem certe non conficit; primo enim illius aetatis eſt, in qua Principes reliquique Proceres ſeculares, ſua iam habuiſſe Inſignia, ſtabili, certoque ordine efformata, ſupra vidimus: vtcunque etiam numorum conditio, rudis ſculptura, aliaeue cauſae effecerint, vt Inſignia regionis Domini in illis haud aeque expreſſa conſpiciantur: certiora tamen argumenta ſigilla nobis ſuppeditant, quorum in rebus Heraldicis vtilitas longe maxima. a) Quod enim in ſigillis Archi-Epiſcoporum et Epiſcoporum, ſcuta Eccleſiarum et Gentilitia ad hodiernum morem efformata, ante ſecu-

lum

Idem dicendum de teſtimoniis, quibus HÖPINGK, *d. l. cap. 6.* ſimilia, quae protulit, ſuperſtruxit.

z) *Differt. Epiſtol. de numis bracteatis et cauis pag.* 27.

a) Vid. HEINECCIVS *Syntagm. de Sigillis Part. 2. cap. 4.*

lum XIII non deprehendantur, et abhinc demum Episcopi Insignia contrasigillis apponere, coeperint, effigie sua in recta sigilli parte retenta, mox tamen et huic eadem superaddiderint, ea, quae MABILLONIVS[b]) et HEINECCIVS,[c]) viri harum rerum peritissimi obseruarunt, neminem dubitare sinunt. Idemque et illud arguit, quod clypeus Ecclesiasticus, reliquis serius superadditus, et in secundum locum relatus.[d]) Hodierna vero Procerum Ecclesiasticorum Insignia in multiplici differentia sunt: et nominatim, Archi-Episcopi Electores, praeter δείγματα Ecclesiarum ac Regionum quibus praesunt, sua quoque inferunt arma Gentilitia, praeterea galeae, Pileus Electoralis, Infula, pedum, gladius, aliaque symbola et ornamenta in Ipsorum Insignibus conspiciuntur. Variae proinde et his ipsorum Insignibus accedere possunt mutationes, e quibus tamen illa frequentissima est, quando mutata Praesulis persona, noua arma Gentilitia

scuto

b) *De re Diplomat. Lib. 2. cap. 15. §. 2.*

c) *d. Tr. Part. 1. cap. 13. §. 9.*

d) *In Iure Feud. Alem. cap. 1.* Plane et superioritatem territorialem Ecclesiasticos serius, quam Seculares consecutos esse, vere obseruauit HERTIVS *de Superiorit. Territ. §. V.*

ſcuto principali inſeruntur. [e]) Interdum etiam Procerum Eccleſiaſticorum Inſignia ſpeciali priuilegio augentur, indeque factum, vt plures Abbates, imo et Praelati Epiſcoporum Inſignia gerant. [f])

XIV.

De Inſignibus Ciuitatum Imperialium, illorumque mutatione.

Pergimus ad Ciuitates Imperiales, quarum intuitu diſputari conſtat, an ex inſignibus Aquilae integrae, vel diuiſae dignoſci poſſit, *ciuitatem* aliquam *Imperii Liberam*, vel *Imperialem* eſſe? Quo admiſſo, ingens vtique momentum a mutatione horum Inſignium dependebit. Ita autem hac de re GILMANNVS: [g]) *Liberae*, ait, *Imperii Ciuitates vocantur, quae nihil de Aquila in Inſignibus deferunt, ac olim ſub iugo Epiſcoporum, vel aliorum fuerunt, et poſtmodum, illis ſe ſubducentes, liberae factae ſunt. Simpliciter vero Imperiales dicuntur,* quas

e) Conf. SPENER *P. Spec. Lib. 1. cap. 63. et paſſim.*

f) Conf. *capit. fin. de Offic. Iud. deleg. in 6.* BROWERVS *Antiquitat. Fuldenſ. Lib. IV. pag. 298.*

g) *Tom. 3. Symphor. Deciſ. Cam. pag. 76.* et, qui ex parte eum ſequuntur, RVLAND *de Commiſſ. 5. p. 2. Lib. 5. cap. 4. num. 41.* BOCERVS *de Iuriſd. cap. 8. num. 82.* LEHMAN. *Chron. Spir. Lib. 4. cap. 4.* HÖPINGK *d. cap. 6. n. 964.*

quas Germaniae Reges vel Caesares condiderunt, et quae Imperio statim ab initio addictae fuerunt, ac in eius rei testimonium in ipsis Armorum suorum scutis vel integram Aquilam, vel partem eius ostentant. Ast enim vero, vt de eo iam non dicamus, ab allegato Autore rem inuerti, et *liberas Ciuitates, Imperialibus* postponi, nec non quid de differentia ipsa zwischen Reichs- und Freyen Reichs-Städten sentiendum sit, an et quas praerogatiuas hae, prae illis vel olim habuerint, vel etiamnum habeant: h) negari equidem nequit, Ciuitatibus Imperialibus, in signum libertatis, specialibus priuilegiis interdum concessum fuisse, vt Insignibus Imperii vterentur, idemque HENRICVS V. Imp. inclutae BREMAE his verbis indulsit: *in signum huiusmodi libertatis et gratiae licentiamus eisdem, quod in eorum Ciuitate Bremensi signum et imaginem Rolandi possint ornare clypeo, et armis nostris Imperialibus.* i) Quo minus tamen

h) Quam varie hac de re Dd. sentiant, apud HERTIVM *de Special. Imp. Rebusp. Sect. 1. §. 7.* et Dn. LVDWIG *Dissertat. de Dispari Ciuitatum nexu*, videre licet.

i) In diplomate, de anno MCXI. vid. *Assertio Libertat. Reip. Bremens. p. 306.* Idemque refert numisma, anno 1648. ibidem cusum, ex vna parte Bremam, cum suis Insignibus, *Aquila bicipite et claue*, addito lemmate: *Conserua*

men haec nota characteristica, istam, quam diximus differentiam inducat, et, in defectu aliarum probationum, ad immedietatem probandam sola sufficiat, vel illud efficit, quod nec omnes Ciuitates Imperii, quae Liberae dicuntur, nec solae, Aquilam in Insignibus referant, sed et mediatis ciuitatibus nonnullis eadem concessa. k)

XV.

Quae mutationes per acquisitionem vel amissionem certarum Regionum Insign. accedant.

Succedunt mutationes circa Insignia Statuum Imp. per acquisitas nouiter, vel amissas, hactenus possessas, Regiones inductae. Qua ratione eiusmodi accessiones per vexilla, et insignia, mox ab horum ortu, illis inscripta, in collatione feudorum regalium denotatae fuerint, GVNDLINGIVS in *supra laudata Commentat. de Feudis Vexilli*, pluribus exposuit. l) Quoad

serua Domine Hospitium Ecclesiae Tuae: ex altera *Statuam Rolandi Bremensis*, cum scuto pectori affixo, eandem aquilam continente, exhibens.

k) Nominatim Essendiae in Westphalia, et pago Frauensee in Wetterauia.

l) Quod in vexillis istis regiones ipsae repraesentatae fuerint, apparet quoque ex diplomate CAROLI IV quo Confraternitatem Saxon. Hassiacam anno 1373 confirmauit, a Dn. LVNIG Reichs-*Archiui P. Sp.* 2. Abtheil. *pag.* 3. exhibito, *ibi:* Wann auch der

Quoad reliquos vero Insignium vsus, δείγματα singularum Regionum olim non aeque expressa fuisse, praeter argumentum a Titulis m) desumtum, antiquiora Insignium exempla satis euincunt. Plane vt hodienum non omnes Imperii Principes, titulos n) et insignia o) singularum, quibus praesunt Regionum, adhibere solent. Praeterea et illud non raro insignia immutasse videtur, quod olim moris fuit,

F 2 a Re-

der ehegenante WILHELM, Landgraff in Thüringen, Marggraff zu Meissen ꝛc. für Uns kommen ist, mit Banieren und Fahnen Seiner Fürstenthumen ꝛc. et paulo post: Wan auch gleicher Weise, und zu derselben Stunde, der vorgenante HERMANN, Landgraff zu Hessen, mit Banieren und Fahnen Seines Fürstenthums, der Landgraffschafft zu Hessen für Uns kommen ist ꝛc. Indeque sententiae *Cel.* SCHLEGELII *Dissert. de Numis Isenac. pag. 7. a* Dn. GVNDLINGIO *d. Tr. §. 18.* pariter defensae, vexillum, in numis Thuringicis conspicuum, symbolum fuisse feudi Landgrauiis collati, argumentum accedere existimamus.

m) De quibus GVILLIMANNVS *Habsburg. Lib. 3. cap. 1.* sequentia obseruauit: *Nomina et titulos Comitatuum aut Familiae addendi consuetudo, ante Henricum II. Caesarem nulla ferme tenuit, rara quoque ad Henricum IV. fuit, postea prope inualuit.*

n) Conf. HERTIVS *de Superiorit. Territ. §. 86.* vbi de Titulis Brunsvico-Luneburgicis.

o) Conf. *Germania Princeps, Lib. 1. Cap. 7. §. 1.* vbi de Insignibus Austriacis.

a Regione maioris dignationis, et reliquas insigniri, p) eoque forte pertinent, quae de Insignibus *Baroniae Vallendar* obseruauit, rationem decidendi in causa, de qua respondit, inde petens, B. Dn. IOH. GOEDDAEVS. q) Quoad hodierna vero tempora, Reges, qui inter Status Imperii numerantur, Regia, aliaque exterarum Ditionum Insignia, cum Armis Regionum Germaniae coniungunt, eidemque scuto inserunt ac superaddunt. Ipsa quoque coalitarum Germaniae Regionum Insignia, fortissimum non raro argumentum praebent, vnde modus coalitionis dignosci possit, vtrum per nudam coniunctionem, in Persona communis Rectoris, an per confusionem, ita vt ex territoriis coalitis noua Reip. structura euaserit, an per incorporationem, eadem contigerit, ita vt Regio accedens, illius cui accessit, pars effecta sit. Quoties autem Regiones seculares cum Ecclesiasticis in Persona communis imperantis coniunguntur, de

p) Ita enim OBRECHTVS *Prodromi Rerum Alsat. Cap. XI. Frequenter euenisse notissimum est, vt coniunctus Ducatui Comitatus, in titulorum descriptione, et ipse Ducatus appellatione designaretur* etc.

q) In Responso Iuris, *de restitutione Baroniae Vallendar, eiusque sublimi Territorii iure*, anno 1612 seorsim excuso, *num. 455.*

de titulis equidem Dn. SIXTINVS [r]) obſeruauit, *tantam eſſe Epiſcopalem Dignitatem, vt prae ſeculari regulariter emineat, et haec illi in titulis poſtponatur, idque etiam fieri in ſecularibus Principibus ad Epiſcopalem dignitatem euectis, niſi ſit Archi-Ducalis dignitas, quae Epiſcopali in titulis praeponi ſoleat: quodſi vero Comites et Barones Epiſcopi fiant, nullam in titulis Comitatus vel Baronatus mentionem fieri.* Vtcunque vero poſterius huius aſſerti membrum quoad titulos ſe habeat, quoad Inſignia tamen Comitatuum aliud obtinere, experientia ſuffragante conſtat. Viciſſim per ſeculariſationem Inſignia Regionem ipſam referentia, non extingui, ſed ad nouum Dominum tranſire, exempla, quae proſtant, neminem dubitare ſinunt. [s]) Denique et amiſſarum Regionum inſignia vel in perpetuum, ad ius conſeruandum, vel ad tempus, et quamdiu viuit priſtinus Dominus, aliquando reſeruantur. Ratione praetenſionum quoque, et Regionum, quarum acceſſio ſperatur, Inſignia earundem non raro aſſumuntur, de

 quo

r) *de Regal. Lib. 1. Cap. 4. num. 127.*

s) Prout etiam in *Inſtrum. Pacis* cum omnibus Iuribus et pertinentiis transſcriptae ſunt.

quo specialius disquirere, nunc, vbi ad metam properamus, non licet. t)

XVI.

Per mutationem Insignium iura Familiae et Agnationis non amittuntur.

Supersunt adhuc quaestiones nonnullae, circa effectus mutatorum Insignium specialiores,

t) Audire interim iuuabit, quae de Titulis ratione praetensionum assumendis, Autor *Elect. Iuris Publ. Tom. 2. part. 2. fasc. 9. in praef.* iudicauit: Es ist unter grosen Herren, absonderlich aber im Römischen Reich nichts ungewöhnliches, daß dieselbe die Lande, worauf Sie eine praetension haben, in Ihre Titul setzen. Die exempla seynd bekanter, als daß es nöthig wäre solche anzuführen. Nicht allein aber wird disfals auf solche praetensiones gesehen, welche ein oder der ander als schon erschienen achtet, sondern auch auf die, welche nur in euentualem Anwachsungs-Recht bestehen. Doch ist die Gewohnheit in letzterm Fall nicht vniuersal: Eine Regel in der Sache zu geben, dörffte wohl schwer fallen, eben darum, weil die obseruantz darinn ungleich im Reich angemerkt wird; Und glaube ich, es könne ad res merae facultatis referiret werden; so lang keine Constitution deshalber vorhanden, und eines tertii Recht nicht praeiudiciret wird. Sintemahl auch keine Regul daraus kan gemacht werden, daß dergleichen Titul nicht ehe zu gebrauchen, biß sie von Kayserl. Majestät selbigem Herrn auch gegeben werden, dann es ist Reichskündig, daß die Titul in der Reichs-Canzley nicht ehe pflegen ertheilt zu werden, bis eine gewisse Taxe davor erleget worden ꝛc. et paulo post: Hierbey wird praesupponirt, daß der Titul von

res, quas paucis hic delibabimus. Solet, inquam, non raro quaeri, an diuerſitas Inſignium, a iuribus Familiae et Agnationis excludat? vbi quidem indubitata Iuris regula eſt, Familias et Agnationes, ex Inſignibus et Armis, tanquam propriis cuique ſignis dignoſci: horumque identitatem, perinde ac cognominum, praeſumtionem agnationis inducere, ita vt iisdem Inſignibus vtentes eiusdem familiae, iis vero diſcreti, diuerſae quoque agnationis eſſe cenſeantur. v) Aſt enim vero, id ipſum perpetuum non eſſe, infinitis exemplis docemur, et ea, quae *ſupra* de origine Inſignium, eorumque frequenti mutatione dicta, pariter confirmant. Cumque euenire poſſit, vt plures eadem cognomina et inſignia gerant, qui tamen nullo ſanguinis vinculo inuicem coniuncti, aut certe defuncto agnato proximiores non exiſtunt, nec a primo acquirente deſcendunt; probatio agnationis ex inſignibus adornata, ſi ſola ſit, haud erit concludens, ſed alia inſuper requiret argumenta et adminicula, v. gr.

von einem Land keine neue Dignität, oder Standes-Erhöhung mit ſich führe, dann ſolche allerdings unter die Kayſerliche Reſeruata zu rechnen iſt.

v) Vid. MENOCHIVS *lib. 6. praeſumt. 11. n. 48.* KNIPSCHILD. *de Fideicom. famil. cap. 14. num. 19.*

v. gr. ex picturis antiquis, libris genealogicis, pactis dotalibus, aliis documentis, aut testium depositionibus desumta, [x]) sicque et hic vsuuenit, quod in *in l. fin. §. 5. ff. ad Municip.* dicitur: *ex ipsis rebus probationes sumi oportere, cum sola nominis* (insignium) *similitudo, ad confirmandam cuiusque originem non sufficiat.* Eadem ergo ratione, et diuersitas Insignium, identitatem Familiae et Agnationis non mutabit, nec a iuribus illius excludet, siquidem aliae supersint probationes; cum variis ex causis et occasionibus et olim contigerit, et hodienum fieri possit, vt insignia vnius lineae augeantur vel mutentur, alterius vero, prout a maioribus accepta, remaneant. Idem tanto magis dicendum, quoties principaliora δείγματα post mutationem adhuc supersunt. [y]) Interim tamen ista, quam diximus, insignium identitas, aut diuersitas, caeteris paribus id operabitur, vt onus probandi in aduersarium transferatur. [z])

XVII.

x) Conf. Consilia Marburgensia, *Volum. I. Consil. 28. num. 196. 200. Volum. II. Consil. XI. num. 49.* ROSENTHAL *de Feudis, cap. 2. concl. 27. in fine.* GAIL. 2. *obseru. 49. n. 1*

y) Vid. KNIPSCHILD *d. l. num. 28.*

z) Conf. MENOCHIVS *Consil. 814. num. 37.* Marburgenses *Vol. 3. consil. 32. n. 130.*

XVII.

Nec Superioritati Territoriali, Aduocatiae, Iuri Patronatus, similibusque derogatur.

Pariter et illud facile liquet, per mutationem Infignium Superioritati Territoriali non derogari. Vtut enim Tituli et Infignia inter externa Summae Poteftatis, et Superioritatis Territorialis, eidem analogae, confpicua, ad probationem eminentis illius poteftatis plurimum conferant: quin et omiffio Infignium, inter figna tacitae derelictionis referatur, [a]) fi quidem ius fuum conferuaturus, his aliisque indiciis, nullam idoneam voluntatis fuae fignificationem, per tempus adeo longum ediderit, cum tamen potuiffet, (interdum enim, ob imperiofas neceffitatis rationes, ius quaefitum per plura etiam fecula diffimulandum venit.) Exinde tamen aduerfus mutationem Infignium nihil inferri poffe, quis non videt? cum δείγματα prioribus furrogata, eandem vim et efficaciam hac in parte retineant. Idem de Iure Aduocatiae [b]) et Patronatus, fimilibusque

a) Vid. HERTIVS *de modo conftituendi Ciuitates Sect. 1. §. 5.*

b) Natales Iuris Aduocatiae, illius indolem, et ambitum, quodque, a Domino Territorii referuatum, non nudum ius protegendi, fed longe ampliorem poteftatem, plane infignem, complectatur,

que aliis dicendum. Solent equidem Protectores et Aduocati, quin et Patroni, Insignia sua Ecclesiis, Sacellis, et Monasteriis, nexibus hisce obnoxiis, ad conseruandam iuris quaesiti memoriam praefigere, vel intus affigere; eaque in tantum stabilia sunt, vt, ex communi Dd. sententia c) nec successor, in quem Ius protegendi vel Patronatus, quocunque titulo, translatum, nec quisquam alius, d) eadem auferre, suaque substituere possit. Quo minus tamen ea, quam diximus, Insignium mutatio iuribus istis praeiudicet, vel illud solum efficit, quod eadem maneat Familia, cuius iura per vsum Insignium nouiter immutatorum pariter denotantur, ac conseruantur.

XVIII.

tur, solide exposuit et probatum dedit HERTIVS *de iactit. Ordin. Cistercienſ. libert. Sect. 3. §. 14. et seq.*

c) Vid. MAGERVS *de Aduocat. armata, cap. 18. num. 116. et seq.*

d) Conf. *Chron. Marienrod.* apud LEIBNITIVM *Scriptor. rer. Brunsuic. Tomo 2. pag. 468.* vbi *de lite, inter Ericum Ducem Brunsuicensem, et Ernestum Episcopum Hildesiensem, sequentia memorat: Cancellarius et Consiliarii Episcopi, insignia principalia Erici, Ducis ac Protectoris monasterii, auferunt de porta monasterii, et asportauerunt ea ad castrum Sturwolde. Praefectus autem et caeteri Consiliarii Ducis, alia insignia praeparari fecerunt, iterum ea appendentes ad fores monasterii, et hoc factum est anno 1578.*

XVIII.

De mutatione Sigillorum, et cautelis, circa eam necessariis.

Quae de Insignibus ipsis hactenus dicta sunt, et Sigillis, in quibus eadem expressa, e) pariter conueniunt. Quandoquidem vero non raro fit, vt Sigilla mutentur, Insignibus parum, vel plane non immutatis, nunc porro et de hac mutatione nonnulla dicemus. Istam Sigillorum mutationem, ab omnibus, qui ius sigillandi f) habent, priuatis etiam, multo magis Imperii Statibus libere fieri posse, res ipsa loquitur. g) Quia tamen a fide Sigillo-

G 2 rum,

e) Nullum temere sigillum, signa Gentilitia praeferens seculo XI. antiquius inueniri, obseruauit HEINECCIVS *d. l. p. 2. cap. 4. §. 4.*

f) Non omnes, ius sigillis vtendi quondam habuisse, exinde constat, quod quidam, *ciues sigillati* specialibus priuilegiis effecti fuerint, vid. OCKEL, *de Palatio Regio, seu Scabin. Hall. pag. 79.* Et quod ad vltimum clypeum militarem relati fuerint, die Siegelmäßige, de quibus SCHILTER, *ad Ius Feud. Aleman. cap. 1. §. 3. et cap. 5. §. 4.* vbi notabilem locum ex *Ordin. Prouinc. Henneberg.* allegat. Quod etiam filiifam. Nobilium sigillis caruerint, nec paternis insignibus vti potuerint, donec et ipsi militiae adscriberentur, cum *Salmasio* et *Du Frêne*, obseruauit ZIEGLER, *de Iur. Maiest. lib. 2. cap. 21. §. 4.* add. MABILLON *R. D. Lib. 2. cap. 18. §. 7.*

g) Conf. HÖPING *de Iure Sigillorum cap. XI. §. 2.*

rum, inprimis publicorum, ad vim, et robur anteriorum diplomatum conseruanda, *νοθείαν* praecauendam et detegendam, ingens momentum dependet: ideo iam dudum olim mutatio Sigillorum pluribus cautionibus munita fuit. [h]) Indeque factum, vt sigillum vna cum aliis defuncti rebus, apud Francos, maiores nostros, [i]) aliasque Gentes terrae mandatum fuerit. Eadem ratione sigilla non raro confracta, [k]) aut quae amissa fuerant, sollicite quaesita, reuocata, et si quae iis substituerentur, praeuia monela et denunciatione, nouiter assumta esse legimus. [l]) Nonnullos etiam ad

h) Ita TACITVS *Annal. lib. 16. cap. 19.* memorat: Petronium, cum flagitia Neronis obsignata ei misisset, *fregisse annulum, ne mox vsui esset ad facienda pericula.* Et apud LIVIVM *Lib. 27. cap. 18.* cum Hannibal occiso Marcello, sigillo eius potitus esset, *Crispinus circa ciuitates proximas nuncios misit, occisum collegam esse, annuloque eius hostem potitum; ne quibus literis crederent, nomine Marcelli compositis.*

i) Exemplo Childerici Regis, in cuius sepulchro Tornaci anno 1653. detecto annulus eius aureus signatorius cum aliis reliquiis inuentus fuit, de quo CHIFLETIVS *in Anastasi Childerici,* et BRICE *dans le Cabinet du Roi pag. 191.* GERMON *de Diplomat. part. 1. cap. 4.*

k) Praesertim si vltimus familiae diem obiisset, vid. WOLFF, *Lect. memorab. Tom. 2. pag. 647.*

l) Exempla collegit MABILLON *R. D. lib. 2. cap. 188. §. 13.*

ad fraudem, vt ſperabant, euitandam, in caſum mortis, ſigilla ſua Monaſteriis legaſſe conſtat. m)

XIX.

Illuſtre huiusmodi mutationis Exemplum.

Illuſtre, ſigilli mutati exemplum, ſequens Diploma nobis ſuppeditabit, quod, hactenus ineditum, Lectori, horum aeſtimatori, nunc primum communicamus.

Wir Philipps, Grave zu Honau, Her zu Münzenberg, thun Kunth aller mennigklich jn und mit dieſem Brieff, Nachdem wir in Zeit Unſerer Regierung biß her und biß auff dieſen Tagck ein Siegel gehapt, daſſelbig in allen Sachen und Hendeln, wie Unſer recht Siegell gebraucht, Lehen- und ander Brieff damit verſiegelt haben, wollen auch das ſolch Siegell who es an Brieffen (wie wir das zu ewiger Beheltnuß und Gedechtnuß zuforderſt an dieſen

m) Vid. CHIFLETIVS *d. l. cap. 8.*

sen Brieff gehangen) gefunden wird, als Unser Siegel Krafft und Macht haben soll in ewigkeit, diweil Wir aber aus beweglichen Vrsachen ein anders anzunemmen gedencken, so haben Wir jetzt berürt Siegel, so Wir biß anher gebraucht jetzund in Gegenwertigkeit der Hochgelehrten und Vesten Unserer Räth, Amptleute und Diener zerbrochen und vernichtiget, und ein anders, so Wir haben machen lassen, fürohin als Unser Siegell zu gebrauchen angenommen, und nemen das also an, hiemit und in Crafft dieß Brieffs, von Form und Gestalt wie Wir das zu dem vorigen und vernichtigten auch an diesen Brieff gehangen, und darauff nachbenante Unser Räth Amptleute und Diener gebetten dieser Unser Enderunge der Sigell gezeugen zu sein, vnd Uns des glaubwirdige Urkunde zu geben one geverde, vnnd wir Niclaus **Rücker** Doctor, Philips von **Eberstein** zu Steinave, Bernhard von **Walborn**

born zu Wynnecken, Eberhard Löwe von Steinfurth zu Nauwheim, Albrecht von Dienheim, Johann von Dorfelden der Jüngere zum Bücherthal, Lorentz von Fischborn zu Orb, Johann von Rüdigckheim, Amptmenner, Räth und Diener bekennen, sampt und sonderlich jn und mit diesem Brieff, das wir bey obgeschriebener Unsers Gnädigen Heren Handlunge vnd Enderunge seiner Siegell gewest sein, vnnd das sein Gnad das erst, so sein Gnad bißher gebraucht an diesen Brieff zu ewiger Beheltung gehenckt vnnd darauff als bald zerschlagen und vernichtiget, vnnd das Neuwe, so sein Gnad neben das andere auch an diesen Brieff gehenckt fürohin sich desselbigen als seiner Gnaden Siegell zu gebrauchen angenommen vnnd sich des offentlich vor uns protestiret hait, vnd des zu waren Urkunde vnnd Gezeugnuß aller herjn begrieffener Handlung hat vnnser jeder sein eigen Ingesiegell

ſiegell an dieſen Brieff bey genannte ſeiner Gnaden alt vund Neuwe Siegell gehangen, auf Dinſtag den Siebendten Tag des Monats Aprilis des Morgens zu Sieben Uren, als man zalt von der Gepurt Chriſti vnſers Hern fünffzehen hundert vnnd acht vnnd zweentzig Jare.

(L. S.) (L. S.)

Sigilla Originalia Titulus exhibet.

XX.

Illudque pluribus expenditur.

Quid *Illuſtriſſimum* et *Celſiſſimum* S. R. I. COMITEM *) ad Sigillum immutandum permouerit,

*) Illuſtriſſimus Diplomatis Autor PHILIPPVS *Hanouiae Comes*, *Dominus in Münzenberg*, natus anno 1501. Propagator fuit Lineae Münzenbergicae; eorum, quae ad Vitae Ipſius curſum pertinent, *Melchior Weiſenberg Lt. et Syndicus Gelnhuſanus, in Oratione, in obitum Illuſtriſſ. Comitis*, Dn. PHILIPPI LVDOVICI I. *Comitis ab Hanau*, *Anno 1580. habita*, nonnulla memorauit, quae Oratio (complura ad Hiſtoriam Hanouicam, et praerogatiuas S. R. I. Comitum pertinentia continens, admodum memorabilia, quo nomine a Celeb. DN. BOECLERO alicubi laudata,) cum in paucorum manibus ſit, ſequentia inde huc conducere lubet. „PHILIPPVS, „ ait,

mouerit, cum in Diplomate expressum non sit, curiose hic disquirere velle, temerarium foret. Mutationem ipsam quod attinet, Scutum principale in sua forma et ordine relictum fuit: est id ipsum et perpendiculariter et horizonta-

„ait, REINHARDI Filius anno aetatis suae XIX. Nuptias celebrauit, cum Generosa Domina IVLIANA Comite a Stolberg, decimum quintum aetatis suae annum tunc agente, quae ei deinde quinque Liberos peperit, et in his Filiam posthumam. Ceterum idem Comes et Dominus PHILIPPVS immatura morte decedens, vltimum suum in terris diem clausit anno 1529. d. 28. Martii, anno aetatis suae XXVIII. relinquens post se Coniugem grauidam et partui vicinam, quae et biduo post filiam IVLIANAM, nuptam tandem THOMAE Comiti Wildensi et Rhenano, et eo defuncto, Coniugem hodie illustris Domini HERMANNI, Comitis in Manderscheit et Blanckenheim Domini in Iunckerat, feliciter enixa est, vna cum quatuor Liberis superstitibus, ex eadem susceptis. Ex quibus liberis, CATHARINA Filia anno demum 1543. connubio iungitur, IOANNI Comiti a Widd, Domino in Runckel et Isenburg, Filiorum vero alter, eiusdem cum Patre Nominis in Regimine successit etc. Quam egregiis virtutibus fuerit praeditus, et quem se Virum in administrando pariter et ornando hoc suo regno praestiterit, non solum funeris moerore tum ostensum est, sed et elegans Epitaphium ipsius, a Iacobo Micyllo, nisi me coniectura fallit, compositum et monumento huius Herois, Hanouiae in aede sacra, iuxta sarcophagum incisum, etiamnum indicat.

zontaliter interſectum, quatuor areas continens, quarum prima et quarta tres Cantherios rubeos, in campo aureo, antiquiſſima *Comitatus* HANOVICI Inſignia, exhibet, ſecundae vero et tertiae areae transuerſe ſectae, pars ſuperior rubei coloris, inferior aurea eſt, *δείγματα* Dynaſtiae *Münzenberg* referens. Nouum ergo Sigillum, a priori, praeter formam externam, circa Galeam Inſignium eiusque ornamenta, n) nec non quoad cygnum o) inde exſurgentem, ac corpore magis prominentem, inſcriptione ſimul emendata, et adiecto anno factae mutationis vnice differt. p) Reliqua Diplomatis contenta, quibus memoratur, vtraque

n) Cuiusmodi mutationes olim frequenter contigiſſe B. HERZOG *Chron. Alſat. Lib. 6. pag. 234.* his verbis teſtatur; Es iſt die änderung der Helm Kleinodien vorzeiten ſehr gemein geweſen, alſo daß zu Zeiten auch Vatter und Sohn nicht gleichmäſige Kleinodien gehabt, doch haben die Geſchlechter in den Schillden nichts geändert.

o) Comitatum HANOVICVM referente: Illuſtriſſima vero Linea Lichtenbergica, prout aliunde conſtat, iſthac mutatione non attenta, priſtina Inſignia omni ex parte ſibi ſeruauit, vsque dum Ipſa in Terras Münzenbergicas ſucceſſit.

p) Quibus vero acceſſionibus deinceps factum ſit, vt Inſignia HANOICA, ad eum, quo hodie conſpiciuntur ſplendorem, vlterius increuerint, SPENERVS *in Part. Spec. Oper. Herald. Lib. II. cap. 41.* pluribus expoſuit.

que Inſignia, a praecipuae dignationis Adminiſtris prius agnita, et antiquius dein in ipſorum conſpectu confractum fuiſſe, haec, inquam, et quae ſunt alia, ex principiis Iurisprudentiae cautelaris deſumta, et in vſum praeſentem deducta fuere.

XXI.

Denique, vt finiamus, illud adhuc addimus, mutationem Inſignium et Sigillorum S. R. I. Statuum, eorum ſanctimoniae nihil detrahere. Iam olim *Nicephorus Calliſtus in praef. Oper. Hiſtor.* Inſignia; *diuina quaedam et myſteriorum ſecretiſſimorum imagines eſſe*, dixit: et in *Capitularibus Francorum* q) cautum: vt, *ſi quis ſignum, annulum vel ſigillum Ducis contemnat, certa poena afficiatur.* Quanto magis hodierna Statuum Imperii Inſignia violare nefas erit. Et cum mutata nouiterque aſſumta Inſignia atque Sigilla, inuiolabilem Regionis Domini Perſonam peraeque referant, iisdem proinde poenalibus r) ſanctionibus quoque munita erunt.

q) Apud STEPHANVM BALVZIVM *Tomo I. Capitular. pag. 105.* Quem Virum, ob ſummam Eruditionem et merita, quibus, in rara longaeuitate Orbi Literato profuit, celebratiſſimum, non ita pridem denatum eſſe, dum haec ſcribimus, refertur.

r) Vid. HOPINGIVS *de Iure Inſignium Capite XIV.*

COROLLARIA.

I.

Diuiſio Ordinum Imperii in Quaterniones, *ſeu* Quatuoruiratus, *cum certum et ſtabile fundamentum in antiquitate habeat, a* Dd. *nonnullis inter paleas Iuris Publici perperam refertur.*

II. *Fruſtra ſunt, qui in controuerſiis rerum feudalium, poſthabitis Patriis Legibus, in conſuetudinibus Longobardicis omne praeſidium ponunt.*

III. *Capitulum, ſede vacante, Superioritatem Territorialem exercet.*

IV. *Pactum, quo venditor tributa rei venditae inhaerentia, in ſe recipit, non quidem ratione Fiſci, attamen ratione contrahentium de Iure validum eſt.*

V. *Venditor, fide de pretio non habita, emtorem, ſtatim poſt factam traditionem, ad vſuras pretii tardius ſoluti conuenire poteſt, etiamſi hic iuſtam de caetero retentionis cauſam habuerit.*

VI. *Aſſertum* Dd. *quod pupillus actione negotiorum geſtorum contraria cum effectu conueniri nequeat, niſi tempore litis conteſtatae locupletior inueniatur, in Iure fundatum non eſt.*

VII. *Teſtamento deſtituto, legata ad pias cauſas non debentur.*

VIII. *Legato ad pias cauſas, ſub conditione negatiua relicto, cautio Mutiana omnino praeſtanda.*

IX. *Falluntur oppido, qui ex* capit. 3. X. de ſolution. *pro Clericis debitoribus competentiae, ceſſionis, vel aliud flebile beneficium, eruere allaborant.*

X. *Vtrum Is, cui Territorium oppignoratum, Inſignia illius aſſumere poſſit? problema ſit.*